

Problematum medicorum triades tres cum corollariis tribus ... / publico examini subjectae à Philippo Webero.

Contributors

Weber, Philipp, active 1609-1617.

Publication/Creation

Basileae : Typis Joan. Jacobi Genathii, 1610.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rjwgrxqw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

PROBLEMATVM

MEDICORVM

TRIADES TRES

cum

Corollariis tribus

S V B

TRIADE DIVINA

*Autoritate & jussu Amplissimi
in celeberrima Rauracorum*

Academia Senatus

Medici,

Pro summis in arte Medica honoribus
& privilegiis Doctoralibus
indipiscendis


publico examini subiecta

à

M. PHILIPPO WEBERO

Idsteniano-Nassoico.

*Ad diem 7. Septembr. in aula Medica,
horis consuetis.*



B A S I L E Æ

Typis JOAN. JACOBI GENATHI.

I 6 I O.

V I R I S
R E V E R E N D I S , C L A R I S -
S I M I S & D O C T I S S I M I S ,

D. D. D.

A N T O N I O , F R I D E R I C O & T O B I A E
W E B E R I S ,

Ecclesiae in illustri Nassovicorum comitatu Id-
steniano ab officiis, puriorisq; Verbi
divini interpretibus & do-
ctoribus,

A V O , P A T R V O , & P A R E N T I ,

Pastori emerito, Informatori fideli, Su-
perintendenti sedulo,

de se, studiisque suis optimè
meritis

*Specimen hoc inaugurale Me-
dicum,*

gratitudinis & observantiae testi-
monium

D. D. D.

P H I L I P P V S W E B E R V S .



Σ Τ Ν Θ Ε Ω.

PROBLEMATVM MEDICORVM ad Physiologiam respicientium

TRIAS PRIM A.

QVÆSTIO I.

A Lien quodammodo sanguificet?

1. Lienem frustra à natura creatum statuit sed malè Erasistratus, teste Gal. l. 4. de usu part. cap. 15. ex accidenti verò conditum vult Aristoteles l. 3. de part. anim. cap. 7. Alii autem meliùs sentiētes necessariò genitum esse, diversis tamen opinionibus, concedunt.

2. Nos unam saltem opinionem, reliquis ut inanibus missis, hoc loco examinabimus; An videlicet vis quædam αἰμασπονοῦσιν lieni conveniat? Affirmabimus autem cum Alex. Aphrod. sect. 2. probl. Aretæ lib. 1. de caus. & sign. chron. Gal. l. de respir. quibus ad stipulatur Reusner. l. de scorb. ex. 4.

3. Non autē simpliciter, propter excremētum melancholicum lienem conditum esse affirmantes, hîc rejicimus, sed quatenus quandam sanguificandi vim lieni denegant. Quæ vis lienis αἰμασπονοῦσιν doctissimè adstruitur à Clariss. & Excellētiss. D. D. D. Præceptoribus Dn. Platero l. 2. tabul. anatom. Dn. Bauhino l. 1. theatri anat. c. 43. Dn. Horstio exerc. nobil. de corp. & anim. l. 1. ex. 6. quæst. 6.

4. Hinc Dn. præc. Bauhinus ait: Lien hepatis ad sanguinis cōfectionem opitulatur, partim quatenus sanguinem sui generis conficit, partim quatenus crassiorem succum ad generationem purioris sanguinis parum idoneum avertit, ut melior fiat in hepate sanguificatio. Unde etiam Aristot. l. 3. de part. anim. c. 7. lienem adulteratum jecur nuncupasse videtur: & Vesal. in exam. p. 124. item Fernel. l. 1. phys. c. 7. quia aliquando viscus hoc mole & magnitudine sua jecur superasse visum est, ad sanguificationem datum esse suspicati sunt. Qui rationes hanc quæstionem ulterius confirmātes expectit, videat Dn. præc. Horst. loc. cit. & exerc. 1. de scorb. thes. 7. & reliquos autores citatos.

QVÆST. II.

An acetum sit simpliciter refrigerans?

1. Quæstionis affirmativam statuere videtur Celsus l. 2. c. 27. Dioscor. l. 5. de

mat. med. cap. 17. sicut & aliquo modo *Fernel. lib. 6. M. M. c. 1. Fuchf. l. 1. de comp. med. cap. 39. 41. 43.* & alii plures: hinc febrium æstus temperare & sedare dicitur à d. *Fernel. l. 5. M. M. c. 3.*

2. Negantem partem Galenus, mistam operandi potentiam aceto attribuens, assumit, quia non solum vim refrigerandi, sed etiam calefaciendi obtinet, ut patet ex *l. 10. M. M. c. 9. l. 11. M. M. c. 18. l. 14. M. M. c. 7. l. 4. simpl. c. 2. l. de atten. vict. & aliis locis plurimis.*

3. Galenum plerique Medicorum sequuntur; hinc *Paul. Aegin. l. 6. de re med. c. 3.* acetum mixtæ facultatis esse ait, frigidæ, & calidæ, prædominari tamen frigidam, tertio verò ordine exsiccare: quibus verbis ad stipulatur *Oribas. l. 15. collect. c. 1. & l. 4. synop. c. 32. Aëtius tetr. serm. 1. Actuar. l. 6. M. M. c. 1. Capivacc. l. 6. prax. c. 21.* Hæc autem principum assertio de aceto multos movit, ut vel solum calidum, vel frigidum saltem esse mordicè defenderint. *vid. Dn. præc. Horst. centur. probl. med. dec. 5. q. 1. th. 7.*

4. Nos nodum hunc ut eò meliùs cum Dn. Horst. solvere possimus, priùs aceti generationem considerabimus: de qua itidem dissentiunt auctores, *Galenus enim l. 4. simp. c. 2,* acetum ex vino fieri ait, ita ut ignita vini caliditas amittatur, & alia ex putredine vini, partiali sc: partibus aquosis remanentibus acquiratur. Hanc vini in acetum mutationem planiùs declarare conatur *Zabarel. l. 3. de misti gener. & inter. c. 7. & seqq.* dum ait, vinum duos habere calores & duas humiditates, calorem sc: animale seu vitalem & elementarem, humiditatem verò vinosam & aquosam: hinc dicendum putat, acetum fieri per interitum caloris vitalis, manente calore elementari, &c.

5. Sed cum hæc Zabarellæ assertio suis non careat dubitationibus, idcirco potius sententia Hermeticorum de aceti generatione arridet, qua statuitur, quòd vinum acidum reddatur separato suo spiritu, sicut experiètia testatur; quòd enim vinum diutiùs Soli aut locis calidis exponitur, eò majorem acrimoniam sensim contrahit. *Vide Dn. præc. Horst. l. c. thes. 10.* qui pulchrè deducit aciditatis causam ab acidis spiritibus salis, qui in vini spiritu continebantur, & gratissimè palatum afficiebant.

6. Est igitur, ex sententia Dn. Horstii, Sal acidus (quem vitriolatum nominant, quòd in vitriolo maximè abundet) qui in aceto cum aquosa substantia, detractâ sulphuræa essentiâ, acore suo se conspiciendum præbet: unde facilè demonstratur, quomodo acetum contrarias operandi facultates possideat: quòd enim vim habet attenuantem & dissolventem, fit hoc ratione salis acidi, qui tenuissimæ est essentiæ, ideo etiam citiùs penetrare potest: quòd verò refrigerat, fit hoc ratione remanentis copiosæ aquæ frigidæ elementaris; ignea enim & sulphurea vini qualitas jam est ab aceto separata.

7. Hos contrarios effectus cum Fuchf. & Fernel. animadvertissent, aceto siccantem facultatem denegare noluerunt, ut patet in *Fernel. l. 5. M. M. c. 3. Fuchf. l. 1. d. C. M. c. 36.* Concludo ergò cum Dn. præc. Horst. loc. cit. acetum mistam habere qualitatem, quam idem pulchrè declarat *exerc. 3. pharm. th. 11. & 12.* Hanc videns *Capivacc. l. 6. prax. c. 21.* monet, ut si acetum refrigerare & humectare volumus, aquam permisceamus: si verò exsiccare petimus, cum acido citri exhibeamus.

2. Calori verò tribuunt hunc effectum *Gal. l. 3. de facult. alim. c. 17. Paul. Aegin. l. 3. de art. med. c. 45. Trallian. l. 9. c. 4. Capivac. l. 3. prax. c. 28. Fuchf. l. 3. M. M. c. 38. & alii*, juxta quos caliditas renum, absumendo in glutinosa humorum consistentia id quod tenue & aqueum est, calculos generare dicitur, ut habet *Iacchinus in com. in l. 9. Rhaf. c. 64. & alii*.

3. Missis autem his opinionibus magis arridet illa sententia, quam afferunt *Clariss. DD. præceptores Platerus tract. 2. prax. c. 12. p. 540. & Horstius centur. probl. med. dec. 8. q. 1. th. 5. 6 & 7. & exer. 4. pharmaceut. th. 21.* dum calculos generari statuunt, quando acris & salsus succus terrestritati in sero & urina permisceatur à quo calculus postea compingatur & cōcrescat. Quam sententiam etiam amplectuntur *Hermetici*, quia materiam tartaream suapte natura ad coagulationem in calculi generatione vergere statuunt. *Vid. Querc. in consil. de Arthrit. & Calc.*

4. Exempla hujus coagulationis pulcherrima adducunt *Dn. Platerus & Dn. Horstius*, dum topfos ac lapides in thermis, fontibus acidulis, falsis, &c. circa margines accrescentes in medium afferunt, quorum coagulatione nec frigiditati nec caliditati, sed materiæ aquarum mineralium proprietati attribuenda est. Item in vino eadem ratione circa doliorum latera sæculenta & falsa materia in lapideam concrevit substantiam, quam tartarum vocant; ut & observatur in urinis etiam purissimis, quæ in matulis procedente tempore sabulosâ materiâ tartaro nō dissimili depositâ coagulantur. Plura si petis exempla vide *Matthiol. in præf. in l. 5. Diosc. de succo lapidescente, & de coralli generatione Cordæum in com. 7. in Hipp. l. 1. de morb. mul.*

5. Ex his ergo patet sententiam negantem omnino non esse recipiendam, cum ejusmodi frigiditas in corpore nunquam fingi, nedum inveniri queat: partem verò affirmantē dubitationibus suis non carere, cum ejusmodi calor in corpore nostro non detur, qui calculos ut lateres coquat: ad materiam tamen calculi colligendam prædictas causas plurimum facere non inficiabimur cum *Capivac. l. 3. prax. c. 28. & Dn. præc. Horst. l. c.* Quod attinet ad autoritatem *Galenii*, qui etsi passim calculi generationem calori tribuat, non tamen obscure (ut d. l. annotat *Dn. Horst.*) l. 6. *Epid. com. 3. text. 15.* innuit, in pueris calculos vesicæ generari, non propter calorem præcipuè, sed qualitate materiæ, quæ ipsa sibi compactionis causa est.

~~~~~

## PROBLEMATVM THERAPEVTICORVM

### TRIAS TERTIA.

#### QVÆSTIO I.

*An dolor capitis ex ebrietate, ebrietate reiteratâ curandus sit?*

1. Ebrietatem plurimorum morborum causam esse, testatur *Galen. lib. 3. de sem-*



de temper. l. 11. de usu part. l. 6. aph. com. 28. & alibi: nam secundum communes versiculos

*Ebrietas vitam, loculos, vim, lumina, mortem,  
Destruit, exhaurit, reprimat, orbat, alit.*

An verò hoc in affectu dictum remedium conveniat non inconvenienter hoc loco propter potatores quæritur: negat expressè *Fuchf. l. 1. M. M. c. 15.* ubi per remedium præsens medicos lucrum facere maximum asserit, q̄t. plurima idem subsequantur incommoda, quod etiam probat *Avicen. l. 3. fen 1. doct. 2. cap. 8.*

2. Nec ratio huic assertioni deest, quia contraria contrariorum debent esse remedia, ut habet *Gal. l. 9. M. M. cap. 15.* & alibi, ebrietas autem ebrietati non est contraria. Huc facit etiam quod *Hippoc. l. 1. aph. 3. & lib. 2. aph. 22.* innuere videtur, repletionem sc: inanitione curari: ergo doloris capitis causam potius auferet vomitus, ut vult *Fuchf. l. c. & ex Avicen. Capivac. l. 1. prax. cap. 7. p. 62.* Hinc etiam *Hipp. l. de loc. in hom. vinoso,* inquit, vomenti non sedandus vomitus.

3. Affirmanti sententiæ ad stipulatur Schola Salernitana his versiculis,  
*Si nocturna tibi noceat potatio vini,  
Hora matutina rebibas & erit medicina.*

Et *Forestus l. 9. observ. 28.* idem confirmat, sed respicit ventrem vacuum, unde vapores crassos dispergi ait eo modo, quo oculorum dolores, ortos ex iis, meraca vini potione curari dixit *Hippocr. l. 6. aph. 31. & l. 7. aph. 47. Paul. Aegin. l. 3. de art. med. c. 22. Aëtius l. 7. c. 7.*

4. Quia autem vinum immodicè sumptum cruditatis causa est, teste *Gal. l. 3. de sympt. caus. c. 3.* quatenus sc: crudos generat humores, qui postea in ventriculi cavitate relictæ & ipsas in tunicas insinuantes nauseam, capitatisq; dolorem ex cōsensu producant, idcirco non necessarium est, ut ventriculus vacuus sit, crudi enim humores cum alimento permiscantur & calore nativo excitato simul alterantur & concoquuntur, vid. *Dn. præcept. Horst. cent. probl. med. dec. 2. q. 2. sh. 6.*

5. Hanc in sententiam & nos abire non erubescimus, intelligentes modicam potionem iterandam, aliàs enim facultate naturali magis debilitatâ pejus quid esset expectandum. Nec dissentit ab hac opinione *Dn. præc. Platerus tract. 1. prax. c. 3.* ubi stomachum bile offensum hoc remedio corrigi scribit. vid. etiam *Nonium l. de part. morb. cur. c. 15.*

6. Alii remedium hoc eo fine præscribunt, ut eò citius postera die vomitus excitetur, cujus causa singulis mensibus inebriari ad sanitatem conferre statuunt *Avicen. l. 3. fen 1. doct. 2. c. 8. & sent. 34. part. 2. can. Rhases l. 4. c. 5. Dioscor. l. 5. c. 5.* cujus rei tamen contrarium rectè defendunt *Valescus Tarant. l. 1. Philon. c. 14. Gord. l. 2. de cons. vita hum. c. 21. Placent. l. 1. decur. morb. c. 8.* quia alii sanitatem defendendi & conservandi dantur modi ebrietate meliores, ebrietatem enim nimiam plurima afferre pericula supra probatū est.

7. Ut ergo parti satisfaciamus negati, distinguimus inter ea, quæ fiunt per se, & ea, quæ fiunt per accidens: repletio enim repletionem non curat per se, unde rectè præscribitur vomitus ab autoribus citatis; idem tamen facit per accidens, quatenus facultatem & calorem nativum excitat, qui postmodum materiam morbificam illic latentem consumit ac dispergit. vide *Dn. præc. Horst. l. c.*



QVÆSTIO II.

*An Asthmaticis vomitus conducatur?*

1. Difficilis asthmaticorum respiratio quid & quotuplex sit videri potest ex Gal. l. 1. de diff. respir. c. 11. est autem asthma respiratio crebra ac densa citra febrim, cujusmodi citatiore cursu defatigatis convenit. Causam describit Gal. l. 1. cit. c. 10. quod non sit cursus ( illa enim crebra respiratio non est præter naturam. Capiv. l. 2. prax. c. 2. ) sed angustia bronchiorum: Unde autem illa angustia sit, quam variasq; obtineat causas, notat Gal. l. de diff. morb. c. 7. l. 1. de diff. respir. c. 10. & II. & alibi, Avic. l. 3. fen 10. tract. 1. c. 38. Dn. præc. Plater. prax. tract. 1. c. 4. p. 429. & alii.

2. Quæritur autem an in hoc affectu, vid. quando per obstructionem à viscida materia malum hoc causatur, ut sæpissimè fit, test. Dn. præc. Horst. probl. med. dec. 4. q. 5. th. 3. ægrotantibus sit præscribendus vomitus? Negari autem facilimè potest, quia ex vomitu in hoc affectu plura metuenda sunt: incommoda, imò materia morbifica est in pulmone, Nonus de part. morb. cur. c. 127. p. 144. Vomitus autem non pulmonis sed ventriculi peculiaris est evacuatio, Crollus Basil. Chym. p. 118.

3. Affirmata autem præsentem quæstionem Paul. Aegin. l. 3. de art. med. c. 29. Oribasius l. 9. Aëtius tetr. 2. serm. 4. c. 57. Fuchsi. l. 2. M. M. c. 7. Dn. præc. Platerus tract. 1. prax. c. 4. p. 447. & alii, dum vomitum radice raphani & similibus excitandum esse statuunt.

4. Distinguendum ergo erit inter causam proximam & antecedentem seu remotam, quoad causam proximam, vomitus non conducit, sed ea, quæ citra vehementem calorem extenuant & abstergunt, vid. Dn. præcep. Horst. l. c. th. 6. & 7. Capiv. l. 2. prax. c. 2. immodico enim calore sicut & frigore crassi & tenaces humores magis crassescunt, teste Fuchsi. cit. l. 2. c. 7. Quoad causam verò remotam vomitus concedi potest, quia copiosa pituita in ventriculo collecta suffocationis periculum imminens majus reddit, & tunc vomitus tentatur, sed non nisi in consuetis, juxta Hipp. l. 4. aph. 6. Sic enim purgato ventriculo antecedens causa & per consequens morbi augmentatio continua tollitur, quia materia ulterius affluens inhibetur.

QVÆSTIO III.

*An prægnantibus venæ sectio conveniat?*

1. Quæstionem hanc expressè negare videtur Hippocrates l. 5. aph. 30. inquiens: Mulier gravida sanguine misso abortit, idque magis accidit, si foetus sit auctior: duxit autem rationem ab alimento, quod cum per venam sectam foetui subtrahatur, idcirco foetus perfectam absolutionem adipisci nequit.

2. Affirmantem verò hujus quæstionis partem defendunt Celsus l. 2. de re med. c. 9. & Averrh. l. 6. collig. c. 4. Ratio est, quia secundum Hipp. l. 4. aph. 1. & l. 5. aph. 29. purgatio in prægnantibus non prohibetur, dicit enim; prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres & usq; ad 7. mensem, sed has parcius. Minore verò aut grandiore conceptu abstinebis: Venæ se-



Ratio autem prægnantibus tutior est purgatione, ut pulchrè probat Dn. præc. Horst. centur. probl. med. dec. 9. quæst. 8. th. 4. quia magis in artificis consistit directione, ergo etiam tutius adhiberi potest.

3. Hinc etiam Averrhoës l. 7. collig. c. 4. in prægnantibus prorsus purgationem pluribus prohibet rationibus, cujus tamen sententia Hippoc. aphorismos de prægnantium purgatione non infringit, unde satis à Dn. præc. Horst. l. c. 9. 7. t. 2. deciditur & declaratur ex sententia Sylvat. contro. 84. Rod. à Castro part. 2. l. 3. de morb. mul. c. 21. Salii de affect. part. c. 21. & aliorum.

4. Affirmanti autem nostræ quæstionis sententiæ præter rationem etiam experientia accedit, quæ non solum prægnantes sanguinis missione à morbis liberari, sed etiam abortum per eandem præcaveri testatur, cujus rei exempla vid. apud Hor. Aug. l. 6. de sang. miss. c. 11. Christoph. à Vega com. ad lib. 5. Hipp. aph. 31.

5. Pro quæstionis resolutione notandum ex Sylvat. contro. 83. Salio de aff. part. c. 22. Fuchsf. com. ad aph. Hipp. s. 5. aph. 31. quod vena aucter sit incidenda prægnantibus datis indicatis temporis, ubi tanta adest sanguinis copia, quæ licet imminuatur, pro fœtus alimento nihilominus sufficiat, ut concludit Dn. præc. Horst. l. c. 9. 8. t. 2.

6. Possè autem interdum tantam adesse in prægnantibus sanguinis copiam, probant prægnantes plethoricæ, ubi ipsa interdum etiam natura sanguinis evacuationem molitur, unde quibusdam toto gestationis tempore menses fluunt, teste Ioberto in com. l. 2. de nat. facult. c. 3. ex iis sc: venis quæ sunt in uteri collo, quarum descriptionem vid. ap. Dn. præc. Bauhinum in theat. anat. l. 1. c. 37. p. 235. quod etiam experientia docuit Schenckium tom. 2. l. 4. observ. 146.

7. Ad Hippoc. aphorismum quod attinet, hoc loco eundem (cujus auctoritatem labefactari religio est) cum quibusdam non mendacii arguere, sed candidè potiùs interpretari volumus, memores illius, quod Gal. noster l. 4. de tuend. sanit. c. 5. monet, Veterum scripta diligenter esse inspicienda, & (ut idem l. 2. de sympt. caus. c. 8. ait) amicè magis & candidè eadem nos debere interpretari ac distinguere, quàm hostiliter insectari & redarguere.

8. Respexit ergo Hippoc. vel missionem sanguinis largam, cujusmodi Veteribus in usu fuit, ut patet ex Gal. l. de cur. rat. per V. S. c. 14. ubi ad sex usq; libras sanguinem detractum esse, & c. 12. ejusd. lib. & l. 9. M. M. c. 4. in acutis febribus usq; ad animi defectionem missum fuisse scribit: Vel respexit menses ultimos, ubi fœtus grandior majorem sanguinis copiam pro alimento requirit, ut vult Sylvat. contro. 83. Vel respexit matrem secundum naturam constitutam, non verò plethoricam, ut pulchrè innuit Dn. præc. Horst. l. c. dec. 9. 9. 8. t. 3. Et hac additâ limitatione aphorismus Hippocraticus affirmanti sententiæ non est contrarius. Vid. de his plur. ap. Rod. à Castro part. 2. de morb. mul. l. 3. c. 2. Salium Divers. de aff. part. c. 22. & alios autores jam citatos.

#### C O R O L L A R I A.

1. An prægnanti graviter decumbenti liceat abortum provocare? N.
2. An Rhabarbarum manifestis qualitatibus educat bilem? N.
3. An in peste ante vel post assumptum alexipharmacum vena secanda? Post. A. cum D.

Æterno Medico sit laus æterna J E H O V A E.